DE
SVSPECTA LIVII FIDE

PRAESIDE

D. CHRIST. GOTTL. IOECHERO

HISTORIARVM PROFESSORE

CONSENSV

AMPLISS. PHILOSOPH. ORDINIS

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

A. R. S. CIƆIƆCCXLIII. DIE XVI. FEBRVARII

DISPVTABIT

AVCTOR ET RESPONDENS

IOANNES HENRICVS PARREIDT

DELITIANVS

PHILOSOPHIAE BACCALAVREVS.

LIPSIAE

LITTERIS BREITKOPFIANIS.

VIRIS

ILLVSTRIBVS MAGNIFICIS

EXCELLENTISSIMIS

AMPLISSIMIS CONSVLTISSIMIS

DOMINIS

CONSVLIBVS

PRO-CONSVLIBVS

AEDILIBVS

PRAETORIBVS

ET CETERIS

INCLVTAE REIPVBLICAE LIPSIENSIS

SENATORIBVS

MAECENATIBVS INDVLGENTISSIMIS.

VIRI

ILLVSTRES, MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMI

MAECENATES INDVLGENTISSIMI

VESTRVM, PATRES CONSCRIPTI, concilium quoties intueor, non poſſum non virtutem illam, quae in medio VESTRVM reſidet, et curis pro republica feliciter regenda grauiſſimis occupatur, ex merito ſuſpicere. Quicunque enim VESTRAM ſapientiam, morum ſanctitatem, ſen-

tentia-

tentiarum dicendarum aequitatem, in custodiendis legibus religionem, in conseruanda ciuium salute sollertiam contemplatur, ille in VESTRVM admirationem raptus, et permagnam VESTRAE ciuitatis felicitatem, et insignem VESTRORVM nominum splendorem merita laude illico celebrabit. Eadem me causa mouit, vt hos, qui iam in lucem publicam prodeunt, ingenii foetus, VESTRAE humanitati dicarem, VESTROque commendarem patrocinio. Et mihi certissima adfulget spes, fore, vt eos serena fronte accipiatis, qui non tam Themidi sacra facere, quam Mineruae operari soletis. Etiamsi enim concatenatos labores in tuendo Iustitiae honore sustineatis, tantum tamen erga mansuetiores artes animis VESTRIS fouetis amorem, vt Musis in VESTRA vrbe commorantibus beneuolum praebeatis hospitium, et, quidquid earumdem commoda adiuuare queat, neque sumtibus neque laboribus parcentes sedulo prouideatis. Proinde donec liberaliores artes florebunt, VESTRA etiam glo-

ria

ria virebit. Ego vero nomen meum iam inter clientes VESTROS professus, summum Numen ardentissimis veneror precibus, vt consilia VESTRA, quibus ciuitatis inclytae gloriam magis magisque adaugere, et bonarum artium studia adiuuare soletis, perpetuo fortunet, VESTRAMque, qua fruimini, prosperitatem quam diutissime perennare iubeat.

VIRI ILLVSTRES MAGNIFICI

EXCELLENTISSIMI


AMPLISSIMI CONSVLTISSIMI

VESTRIS NOMINIBVS

EXCELLENTISSIMIS

ADDICTISSIMVS CLIENS

IOANNES HENRICVS PARREIDT.



PRAEFATIO

Instituti rationem reddens.



Quae praeterito saeculo acutissima doctissimorum virorum ingenia fatiganit, nondum prorsus composita lis est, de eo agitata, quale priscorum scriptorum laboribus pretium sit statuendum. Alii suae aetatis gloriam amplificaturi, viros, quos merita et aetas olim venerabiles reddiderant, longe infra recentioris aetatis homines collocabant, haud obscure prodentes, se, quod non nouitatis gratia commendabile sit, magni haud facere. Alii, quibus nihil placebat, quod non vetustatem redoleret, eos tantum, quos antiquior aetas tulerat, suspiciebant et venerabantur, nullo iis pretio statuto, qui recentiori aetate aliquod nomen essent adepti [a]. Confectum licet iam videretur, recruduit tamen hoc bellum, quum duo ex francica gente viri doctissimi, societati inscriptionum et elegantiorum litterarum adscripti, PVILLYVS et Abbas SALLIERIVS de certitudine historica priorum saeculorum contenderent [b]. Qui

 suc.

a) Historiam huius certaminis consignauit celeberrimus in academia goettingensi iurium doctor GEORGIVS HENRICVS AYRER in dissertatione *de comparatione eruditionis antiquae et recentioris*, ANT. BLACKWALLI commentationi de praestantia classicorum auctorum adiuncta.

b) V. *Memoires de l'academie des inscriptions et des belles lettres Tom. VIII. pag. 1. seqq.*

ſuccumbere videbatur PVILLYVS, defenſorem nactus eſt auctorem diſſertationis de incertitudine quinque priorum ſaeculorum hiſtoriae Romanae[c], a Viro Cl. CHRISTOPHORO SAXIO dein data opera confutatum[d]. Nos de ſuſpecta Liuii fide iam diſputaturi, vnumquemque ſuo ingenio abundare lubentiſſimi patiemur, et mediam tentabimus viam, qua procul dubio tutiſſimi ibimus. Haud enim animus eſt, omnem Liuio auctoritatem denegare, aut debitam eripere laudem, qua eum ex merito mactant doctiſſimi homines, cumprimis RAPINVS[e], dummodo amore Liuii nimio abreptus non idem in eo praedicaſſet, quod in aliis ſubinde reprehendit. Iuuat tamen, ſi quando humani quid Liuio contigiſſe obſeruauimus, illud exponere, incautosque antiquitatis cultores modeſte monere, caueant ſibi, ne omnibus fidem temere adiungant. Quantum enim detrimenti humaniores litterae caperent, ſi omnia ab antiquioribus tradita in dubium vocarentur: tantum quoque contraherent damni, ſi cuicumque narratiunculae absque praeuio examine nos praeberemus credulos. Si itaque in legendo Liuio vnum alterumue deprehendimus, quod non omnes veritatis hiſtoricae numeros habet, illud hac ſcriptione complectimur, non, vt a praeſtantiſſimi operis lectione auocentur rerum olim geſtarum curioſi, ſed vt probetur, Liuium cautius eſſe tractandum, nec omnia ſine examine accipienda.

§. I.

Fidei ſuſpectae notio explicatur.

Vocabulo fidei, quatenus ad rem hiſtoricam ſpectat, duplex plerumque poteſtas ſubiicitur. Iam enim pro iudicio accipitur, quo narrationem propter auctoritatem dicentis pro vera habemus, quam ſignificationem illud OVIDII teſtimonium confirmat[f]:

Prona venit cupidis in ſua vota fides,

cui maius adhuc pondus addet CICERONIS effatum[g]: *Namque et*

c) v. *Diſſertation ſur l'incertitude des cinq premiers ſiecles de l'hiſtoire Romaine par Monſieur* L. D. B. a Vtrecht 1738.

d) vid. *Miſcellanea Lipſienſia Noua* Vol. I. Part. I. pag. 40. ſeqq.

e) v. Les Oeuvres du P. RAPIN Amſt. 1709. atque in iis, quae huc pertinent *La comparaiſon de Thucydide et de Tite Liue* atque *Les reflexions ſur l'hiſtoire,* vbi paſſim in Liuii laudes effunditur.

f) OVIDIVS in arte amandi L. III. v. 674.

g) CICERO de officiis Lib. II. c. 9.

et iis fidem habemus, quos plus intelligere quam nos, arbitramur. Iam vero etiam ſumitur pro virtute, qua quis eiusmodi adſenſum ab aliis impetrat, qua ſignificatione vox fidei vſurpata videtur a LVCANO [b] ita canente:

Nulla fides pietasque viris, qui caſtra ſequuntur,

cum quo CICERO conuenit, ita verba faciens [i]: *Si eſſet in iis fides, in quo ſumma eſſe debebat, non laborartmus.* Illa actiua, haec paſſiua fides vtplurimum adpellatur. Nos poſteriorem vocis ſignificationem amplectimur, dicimusque fidem, complexum earum virtutum quibus ad adſenſum dictis praebendum alii commouentur. Si igitur cuidam rerum geſtarum ſcriptori eae deſunt virtutes, quibus aliorum adſenſum elicere poteſt, ſuſpecta erit ipſius fides. Vocatur enim ſuſpicio illud mentis iudicium, quo rem quandam ita prout narratur, ſeſe habere dubitamus, eamque adcuratiori diſquiſitioni ſubiiciendam eſſe arbitramur. Liuium igitur ſuſpectae fidei adcuſantes, hanc in eum conjicimus culpam, quod non ſemper iis virtutibus, quas conſcribenda expoſcit hiſtoria, inſtructus fuerit. Quodſi res ita ſeſe habet, non vbique is eſt Liuius, cuius, rerum geſtarum memoriam tradentis ſententiae, ſola eius auctoritate commoti, ſtatim ſubſcribamus.

§. II.

Veritatem praecipuam eſſe hiſtorici virtutem, oſtenditur.

Veritatis ſtudium praecipua virtus eſt, cui, ſi quis alius, is maxime operam dabit, qui hiſtoriarum monimenta componit, e cuius animo omnis mentiendi libido exulare debet. Hanc legem hiſtoriarum ſcriptoribus CICERO [k], hanc STRABO [l] rogauerunt, aliique [m] ſuo comprobarunt ſuffragio. Intelligentiores enim circumſpecti-

b) LVCANVS Pharſal. Lib. X. v. 407.

i) CICERO in epiſt. L. I. ep. 1.

k) CICERO de Orat. L. II. c. 15. *Quis neſcit primam eſſe hiſtoriae legem ne quid falſi dicere audeat? deinde ne quid vere non audeat, ne qua ſuſpicio gratiae ſit in dicendo, ne qua ſimultatis.*

l) STRABO Geograph. L. XI. p. 770. ed. Harderov. 1707. *η ιστορια βουλεται ταληθες αυτε παλαιον αυτε νεον.*

m) RAPIN dans les reflexions ſur l'hiſtoire c. 9. operum iunctim editorum, p. 243. *La verité étant le ſeul moyen, par ou l'hiſtoire peut inſtruire ſûrement; elle doit en être la premiere regle, pour être le fondément de la foi publique, comme il faut, qu'elle ſoit.*

ſpectique lectores non ſtatim cuiuis narratiunculae fidem habent, niſi de dicentis integritate eiusque erga veritatem amore, indubiis indiciis fuerint redditi certiores. Quum etiam fraus ſcriptorum, labores ſuos perſpicaciſſimorum hominum oculis exponentium, facili negotio, adhibita criticae artis ope detegi queat, et artes quibus vel omittendo ea quae addenda erant, vel addendo quae omitti debebant, commentarios ſuos vitiauerunt, non vſque adeo occultae latere poſſint, prima omnino cura hiſtorico eſt veritatis habenda. Sed de eo fortaſſis minus ambigitur, quam de hoc, vndenam conſtet, veri ſtudioſum fuiſſe hiſtoricum? Duae inprimis adſunt regulae, celeb. BIERLINGIO [n] etiam probatae, quibus tamquam ad lydium lapidem veritatem hiſtorici exigere poſſumus, vt nempe et poſſit perſcribere vera et velit.

§. III.

Qua ratione quis poſſit vera perſcribere exponitur.

Debet igitur hiſtoricus fide dignus poſſe vera exponere. Proinde tunc demum, quando certa adcurataque earum rerum quas litteris mandare ſuſcepit, cognitione inſtructus eſt, opus ſuum adgrediatur. Intellectus ipſius neque peruerſis opinionibus ſit praeoccupatus, neque iis vitiis indulgeat, quibus ſubinde humana mens contaminata a vero aberrare ſolet. Cognitionem rerum geſtarum certam adcuratamque adquirit, quum vel ipſe eis interfuit, easque oculis vſurpauit: vel quum ex aliorum, quorum indubitata fides eſt, commentariis optima quaeque mutuatur: vel quum alia a melioris notae viris, qui rei geſtae praeſentes adfuerunt, eamque fideli memoriae cuſtodiendam tradiderunt, et ipſi fallere noluerunt, commemorata percepit. Vulgares vero iſti ſermones, qui per multa multorum hominum ora iam traducti, multum inde vitii contraxerunt, eo minus a graui atque prudenti hiſtoriarum conditore excipientur, quo facilius illi a garrulis temerariisue adulterari, et omnem priſtinae veritatis ſpeciem amittere ſolent. Sed quando-

n) BIERLINGIVS in *Commentatione de Pyrrhoniſmo hiſtorico* c. 2. §. 1. *Paucis deſcribere libet, quid ad hiſtoricum fide dignum requiratur, ſcilicet, vt et poſſit et velit veritatem ſcribere et ad poſteros propagare.* Et paulo poſt bonum hiſtoricum ita definit: *Bonus hiſtoricus eſt, qui et poteſt et vult de rebus geſtis veritatem, etiam quando odium illa parit, ſcribere, et neque credulus eſt, neque mendax.*

quandoquidem de eo, quantum traditionibus fidendum ſit, ingens ad dicendum materia paulo inferius ſuppeditabitur; ſufficit hic ea adduxiſſe, quibus hiſtoricus cognitionem rerum geſtarum adipiſci poſſit. Huic cognitioni comparandae niſi ipſe obicem ponere velit, mentem a ſuperſtitione, credulitate et negligentia ſolertiſſime liberet. Etenim ſi quis rerum geſtarum memoriam conſeruaturus, hac via ad veritatem graſſari deſiſtat, periculum eſt, ne ipſe felicem ſui laboris euentum fruſtretur.

§. IV.

Liuio ſubſidia defuiſſe, quorum ope certam adcuratamque antiquae Romanorum hiſtoriae adquirere potuiſſet notitiam, probatur.

Iam ad rem ipſam pedem promouemus, probaturi primo, Liuio ſubſidia defuiſſe, quibus ad enarrandas res a Romanis antiquitus geſtas indiguit. Quum maxima pars eorum, quae ab obliuione vindicare voluit, remotiſſimo a ſua aetate tempore fuiſſent peracta, alienam opem implorare, et ab aliis hiſtoriarum monimentis, quae prioribus poſt conditam Romam ſaeculis conſignata fuerant, auxilium arceſſere neceſſe habuit. Quapropter diu in aula Imperatoris Auguſti, apud quem gratia multum valebat, verſatus, ea ſtudioſe conquiſiuit *), quibus hiſtoriae lucem accendere poſſet. Sed quae ibi adſeruabantur, deperditis antiquae hiſtoriae commentariis, recentiorum tantummodo temporum faciem depingebant. Hinc, quam parum praeſidii ibi inuenerit, ipſe denſam caliginem prioribus incumbentem ſaeculis conqueſtus, commemorat. Iuuabit ipſius audire querelas, quas admodum frequentes libris ſuis immiſcuit (α). *Res*, inquit, *expoſui quum vetuſtate nimia obſcuras, veluti quae magno ex interuallo loci vix cernuntur, tum quod et rarae per eadem tempora litterae fuere, vna cuſtodia fidelis memoriae rerum geſtarum, et, quod etiamſi quaedam in commentariis pontificum aliisque publicis priuatisque erant monimentis, incenſa vrbe, pleraeque interiere.* Eaſdem querimonias aliis in locis identidem iterauit (β), vt facile ex iis et paucitatem eorum intelligere queas, qui in his nebulis de accendenda hiſtoriae luce ſolliciti fuerunt: et eorum labores ab incendio, quo vrbs Romana conflagrauit, maximam partem abſumtos. Ipſe Liuius penuriam monimentorum fide dignorum ingenue pro-

α) L. VI. c. 1.

β) L. II. c. 21. *Tanti errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magiſtratibus, vt, nec qui conſules ſecundum quoſdam, nec quid quoque anno actum ſit, in tanta vetuſtate non rerum modo ſed etiam auctorum digerere poſſis.*

*) RAPIN dans la comparaiſon de Thucydide et de Tite Liue p. 188.

professus, suo haec testimonio satis corroborare posset. Quandoquidem vero nonnulli magno conatu his testimoniis renitentes, insignem commentariorum copiam iactitant, qua prisca saecula abundauerint, ab ipsis antiquioribus scriptoribus etiam vsurpatorum; operae pretium erit, singula haec rerum antiquarum monimenta adcuratius considerare. Annales maximi secundum FESTVM [p] a pontifice maximo consecrari soliti, praestantissimum sine dubio suppeditarent lumen, quod antiquorum temporum tenebras dissiparet, si modo illi integri ex incendio Romano euasissent. Dedit nobis eorum imaginem CICERO [q], et licet ab hac paulo diuersam, forte tamen meliorem VOSSIVS [r] de re historica egregie promeritus. Sed quod illi in incendio vrbis romanae perierint, haud obscure ex adductis et adducendis Liuii verbis, eiusque querelis saepissime repetitis colligitur, quibus et alii scriptores primi ordinis subscripserunt [s]. Neque credibile est, quidquam ex his voluminibus violentiae ignis fuisse subtractum, quum inter omnes constet, quod, si semel flammae eiusmodi membranas corripuerint, breuissimo

p) FESTVS p. 315. collect. auct. lat. ling. quae prodiit Geneu. 1622. *Maximi Annales adpellantur non magnitudine, sed quod eos Pontifex Maximus consecrasset.*

q) CICERO *de Orat.* L. II. c. 12. *Erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio: cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa, ab initio rerum romanarum, vsque ad P. Mucium pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus, efferebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas vt esset populo cognoscendi, ii, qui etiam nunc annales maximi nominantur.* Quam suspectus hic locus sit, VOSSIVS iam indicauit, eumdem simul emendans. Nihilominus tamen ex eo suae opinioni robur petunt, qui annales maximos in incendio romano periisse negant. Sed operam suam frustra impendunt. Largiamur enim, vsque ad P. Mucium continuatos esse maximos hosce annales; inde tamen nemo extorquebit, priorum horum annalium partem ab incendio non fuisse absumtam. Forte post restauratam vrbem et illi denuo condi coeperunt.

r) VOSSIVS de *historicis latinis* L. I. c. 1. Tom. IV. Opp. *Nec peccare mihi videor, qui commentarios summorum virorum, pueritiam vel etiam infantiam historiae adpellem. Quippe antiquiores his scriptores non habet historia romana. Rudes etiam et inconditi, imo facundiam si spectes, plane infantes fuerunt. Accedit, quod, sicut pueritia domi solet contineri, ita annales illi a pontificibus adseruarentur domi, nec alibi haec monumenta publica consulendi copia populo fieret.*

s) PLVTARCHVS in Numa Tom. I. p. 59. edit. Wechelianae. αλλα και Κλωδιος εν ελεγχω χρονων ισχυριζεται τας μεν αρχαιας εκεινας αναγραφας εν τοις Κελτικοις παθεσι της πολεως ἠφανισθαι. Cum quo conspirat illud PLVTARCHI de Rom. fort. Tom. II. p. 326. αλλα τι δει περι ταυτα διατριβειν, σαφες ουδεν, ουδε ωρισμενον εχει τα και τα πραγματα διαφθαρηναι των Ρωμαιων, και συγχυθηναι τους υπ αυτων υπομνηματισμενους, ως Λιβιος ιστορηκε.

vissimo tempore incendio hauriantur. Et licet singularis hominum cura quasdam ex iis particulas superstites fecisset, mancas tamen, dilaceratas atque ita fumo infuscatas accepissent posteri, vt nullus earum vsus fuisset futurus. Sed supererant tamen quaedam mediis ex flammis erepta, quae ipse Liuius sigillatim commemorat (γ), nempe foedera et duodecim tabularum et quaedam regiae leges. Quod ad foedera attinet, qualia haec fuerint HORATIVS nos facit certiores, in Liuii sententiam transiens ᵋ. Possunt quidem ex eiusmodi pactis inter gentes sancitis historiae interdum illustrari; sed quum, interprete HORATIO, duo tantum restiterint foedera, et in eorundem consignatione nihil plerumque contineri soleat, quam quibus legibus, quibusue conditionibus pax et amicitia fuerit conciliata: parum sane auxilii vniuersam gentis Romanae historiam descripturus inde poterat haurire. Leges illae ex cineribus veluti erutae, poterant quidem senatui rempublicam collapsam restauraturo ingentem praestare vtilitatem, nequaquam vero historiae Romane sub his vastatae vrbis ruderibus veluti sepultae animam nouosque spiritus addere. Pontificum libri ab annalibus maximis procul dubio diuersissimi, ea tantum continuerunt, quae ad sacra pertinebant, et de quibus Liuius, verbis iam excitatis ait, quod a pontificibus essent suppressa. Proinde illi libri oculis humanis prorsus subtracti, historiam Romanam antiquiorem nihil poterant iuuare. Ad inscriptiones et alia monimenta, quae singulari hominum quorumdam eminentium virtuti erigebantur, accedemus, quaesituri, num penuria scriptorum antiquiorum iis subleuari potuerit? Sed quocunque oculos vertes, aut nullas, aut admodum exiguas in tanta litterarum raritate perspicies inscriptiones tibi profuturas. Monimenta illa, nisi originem suam, et personas quibus dicata erant, adiectis litteris, tamquam certissimis rerum signis, prodiderint, sciendi cupiditati nequaquam satisfacient. Praeterea, si quaedam extitissent monimentis vetustissimis insculptae inscriptiones, illae idem quod romana tecta, vrbe conflagrante, subiissent fatum. Neque tempus

γ) LIVIVS L. VI. c. 1. *Inprimis foedera ac leges, erant autem eae duodecim tabulae, et quaedam regiae leges, conquiri, quae comparerent, iusserunt: alia ex iis edita etiam in vulgus, quae autem ad sacra pertinebant, a pontificibus maxime, vt religione obstrictos haberent multitudinis animos suppressa.*

Omissis itaque a Liuio annalibus maximis, magna verisimilitudine concludimus, ipsos tum prorsus periisse.

ᵋ) HORATIVS L. II. ep. 1. v. 23.
Sic fautor veterum vt tabulas peccare vetantis,
Quas bis quinque viri sanxerunt, foedera regum
Vel cum Gabiis, vel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum
Dictitet Albano Musas in monte loquutas,

tempus rerum edax, quod ferrum et lapides consumere solet, iis laboribus ita pepercisset, vt eo tempore, quo primi Romanorum scriptores inclaruerunt, integri essent atque illaesi. Iungimus his omnibus libros linteos a Liuio (δ) subinde commemoratos, quorum auctoritatem et fidem, si quam habuerunt, intactam in medio relinquimus. Saltim non ad Liuii peruenerunt manus, qui eos ab aliis auctoribus citatos citare solet. En! igitur illos exilis venae fontes, ex quibus antiquissimi historiae romanae scriptores sitim suam restinguere debebant. Indicauit iam riuulorum istorum penuriam Gallus ille [u], in praefamine a nobis commemoratus, qui, licet non omnium tulerit plausum, tamen, si aequa mente iudicare volueris, non adeo lubricis argumentis suam opinionem superstruxit. Aderant quidem alia sed tantum recentiorum temporum opera. Fastis enim capitolinis parentem esse T. Pomponium Atticum putat PIGHIVS [x]. Acta senatus et populi diurna, Iulio Caesare Imperatore, si SVETONIO fides habenda est [y], coeperunt nasci. Neque multo grandiores aetate fuerunt laudationes illae funebres et ephemerides ad memoriam illustrium familiarum condecorandam conscriptae, a CICERONE [z] et Liuio (ε) iam satis vituperatae. Recentioribus igitur temporibus magna quidem lux exsplendescere coepit, sed antiquiora illa spissisimis tenebris semper obsita fuerunt. Et quoniam ipsi illi qui priscarum rerum memoriam renouare studuerunt, non alios ex quibus haurire potuissent, indicarunt fontes, neque alii cuidam licebit eorum numerum augere vel nouos quosdam excogitare. Quare eadem caussa PERIZONIVM, magnum alioquin rerum antiquarum aestimatorem commouit, vt veterum annalium fidem vacillare pronuntiaret [a].

δ) L. IV. c. 7. c. 13. c. 20. c. 23.

ε) L. VIII. c. 40.

§. V.

u) vid. Dissertation sur l'incertitude des cinq premiers siecles de l'histoire Romaine c. 3. p. 25. seqq.

x) v. PYGHII Annales magistratuum et prouinciarum S. P. Q. R. L. I. p. 13.

y) SVETONIVS in Caes. c. 20. *Inito honore primus omnium instituit, vt tam Senatus quam populi acta conficerentur et publicarentur.*

z) CICERO *in Bruto* c. 16. *Ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta seruabant, et ad vsum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum, et ad illustrandam nobilitatem suam, quamquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior.*

a) PERIZONIVS in *Animaduersionibus historicis* c. 5. p. 182. *Ceterum ex ista litterarum raritate, necessario euenit, vt in rebus tam vetusto saeculo gestis, laboret nunc aliquando annalium fides.*

§. V.

De scriptoribus quos sequitur Liuius iudicium fertur.

Animaduertit illud tristissimum pristini aeui fatum VOSSIVS antea laudatus, et longe alia circumspicit fulcra, quibus laborantem veterum annalium fidem suffulciat. Ex memoria enim pontificum, quorum curae atque fidei annales maximi erant commissi, deperditam eorum partem potuisse quodammodo resarciri autumat. Quinimo longius procedit, et vel ex vicinarum vrbium commentariis, vel ex graecorum historicorum operibus iacturam illam fuisse supplendam arbitratur [b]. Sed plus iusto memoriae hominum tribuit, et nimium sacrificulorum istorum humeris onus imponit VOSSIVS, sibi persuadens, quaecunque ante quadringentos et quod excurrit annos gesta in commentariis romanis continebantur, ita eorum animis infixa fuisse, vt exinde perditorum monimentorum insignior pars restitui potuisset. An quaeso eiusmodi cento variis consutus partibus, eamdem, quam illi annales, faciem fuisset habiturus? An omnia ita suppleri potuisse credes, vt singula, minimum praecipua historiae momenta, consilia, euentus, principum virorum vitia vel virtutes, hominum mores, temporum ordines, locorum ingenia, varia artium fortuna, belli pacisque causae atque exitus, et alia, prorsus non interpolata pristinam formam acciperent? Nemini emunctae naris VOSSIVS illud persuadebit. Vicina vero oppida rerum cum romanis gestarum memoriam annalibus conseruasse, etiamsi euinceret VOSSIVS, tamen nihil lucraretur. Aut sistebant annales illi victorias populi Romani et clades oppidorum a romanis acceptas; tunc comburi potius, quam euulgari sua dedecora vrbes illae curassent: aut continebant harum vrbium gloriam, quam ipsae victrices a romanis reportauerant; tunc romani suae gentis gloriam amplificandi studiosissimi, tale opus, veluti nomini suo infamiam allaturum reiecissent. Graeci vero illi antiquio-

 res,

b) VOSSIVS de *historicis lat.* L. I. c. 1. Tom. IV. Opp. *Neque enim eiuscemodi homines memoriam vsque adeo omnem amiserant, vt nec ipsi, penes quos non modo legendi sed etiam scribendi seruandique annales ius erat, non bona ex parte instaurare eosdem possint. Et credibile etiam est, vicinis etiam oppidis fuisse annales suos, qui multa cum Romanorum gestis communia haberent. Vt nihil dicam de hominibus Graecis, Diocle Peparethio, quem inprimis sequutus est Fabius Pictor, et Antiocho, Xenophanis filio Syracusano, qui ex antiquis Italiae monumentis historiam composuerat, vt ex Halicarnassensi Dionysio scimus.*

res, historiae Romanae incunabula celebrantes, eo minus veram reipublicae eius formam certo noscere potuerunt quo minus illud commercium fuit, quod eo tempore ipsos inter et Romanos intercessit. DIOCLI et ANTIOCHO alios eosque antiquiores, HIERONYMVM, THEOPHRASTVM atque TIMAEVM, DIONYSII HALICARNASSENSIS, PLVTARCHI atque PLINII testimoniis fretus, adiecit PVILLYVS, illorumque fidem euidentissimis rationibus subuertit [c]. Ne crambem bis coctam adponere videar, ad eumdem lectores ablegabo, hoc vnicum addens, Liuium graecorum istorum opera nequaquam esse vsum; quod inde patet, quia hos quos sequitur, subinde nominat et laudat, eorum vero nullam vnquam facit mentionem. Vnde vero, inquies, Liuius ea omnia hausit, quaecunque ingenti labore collecta, posteritati reliquit? Virum tantum, ad quem visendum, vti PLINIVS narrat [d], Gaditanus quidam ab vltimo terrarum orbe venerat, haec omnia ex ingenio confinxisse, quis quaeso sibi persuadebit? Sed ipse Liuius fontes indicat, ex quibus, quae tradit, hausta sunt: quorum nomina FABRICIVS [e], VOSSIVSque [f], rei litterariae peritissimi duumuiri studiose collegerunt. Plerique qui Liuio viam praeiuerunt, eo vixerunt aeuo, quo ad summum fastigium gloria romana propius accedebat. Quodsi igitur ista commemorant, quae ipsorum aetate contigerunt, neque partium studio a veritatis via deflectunt, fidem sane merentur. Sed quoties ad ea retro abeunt saecula, quae ante captam a Gallis vrbem effluxerunt, deperditis illorum temporum monimentis, talium testium fides ipsa periclitabitur, tantum abest, vt Liuii fidem corroborare possit. Antiquissimus eorum, vt eum ipse Liuius adpellat (ζ), putatur FABIVS PICTOR, qui, quantum ex Liuio (η) et APPIANO [g] constat, tempore belli Punici

ζ) L. II. c. 40.
η) L. XIII. c. 11. *Dum haec geruntur, Fabius Pictor legatus a Delphis Romam rediit.*

c) v. Memoires de l'academie des inscriptions et belles lettres T. VIII. p. 23. vbi adductis DIONYS. HALICARNASS. et PLVTARCHI locis, HIERONYMVM historiam oppugnatae a Pyrrho Lacedaemonis scripsisse ostendit, TIMEI vero auctoritatem, POLYBII et DIODORI SICVLI testimoniis infringit, p. 33. THEOPHRASTI et p. 34. 35. DIOCLIS et ANTIOCHI fidem incertam facit PVILLYVS.

d) PLINIVS L. II. ep. 3.

e) FABRICIVS Biblioth. lat. Vol. II. cap. 11. p. 205.

f) VOSSIVS de hist. lat. L. I. c. 2. 3. seqq.

g) APPIANVS de bellis Annibalicis p. 569. ed. Tollii Amstel. 1670. *η δε βουλη Κοιντον μεν Φαβιον, τον συγγραφεα τωνδε των εργων, ες Δελφους επεμπε, χρησομενον περι των παροντων.*

Punici secundi vixit, Delphos tum ad consulendum oraculum missus. Sed quam malae notae hic fuerit, POLYBIVS[b] et DIONYSIVS HALICARNASSEVS[i] iam pridem monuerunt. Atque eadem causa est, cur VOSSIVS ipsum maximopere exagitet[k]. Reliqui omnes, quemadmodum DIONYSIVS HALICARNASSENSIS[l] retulit, veluti vno agmine huius PICTORIS vestigia legerunt, et eius tamquam natu maioris effata cupidissimis manibus adripientes, suum ei obsequium addixerunt. Quid igitur mirum, si Liuius horum antecedentium gregem sequutus, in eamdem ac illi suspicionem ruit? Plerisque, qui historias condiderunt, palmam praeripuit POLYBIVS, tum ob singulare studium quod in contexendis historiis collocauit, tum ob insignem illam circumspectionem, qua, ne falsi quid suis laboribus irreperet, sedulo cauit. Hunc quotiescunque Liuius exscripsit, maleuolentiae et plagii propterea a viris doctis insimulatus[m], non habemus, cur litem ipsi moueamus. Sed reliquis illis scriptoribus, nemo nobis vitio vertet, si fidei parum tribuerimus, tum quoniam a primordio vrbis opus suum exorsi, in tantis tenebris non habuerunt, vbi pedem figerent, tum quoniam FABII PICTORIS vestigiis inhaesere, tum quoniam ipse Liuius eorum auctoritati quam plurimum detraxit. Rectissime enim Valerium Antiatem, Silenum (ϑ), Lucium Calpurnium Pisonem (ι), Coelium (κ), Clodium Licinium (λ) reprehendit et eorumdem negligentiam adcusat. Nec ipsum L. Cincium (μ) Fabii Pictoris aequalem, ab Annibale aliquando captum, sine omni vituperio dimittit.

ϑ) L. XXVI. c. 49. ostendit, quam diuersa Silenus et Antias referant, talia mox subiiciens: *adeo nullus mentiendi modus est.* conf. L. III. c. 5. L. XXX. c. 19. L. XXXVI. c. 38.

ι) L. IX. c. 44. *Hos consules Piso suggerit. Memoriane fugerit in annalibus digerendis, an consulto binos consules falsos ratus, transcenderit incertum est.*

κ) L. XXII. c. 31. *Sed et Coelium et ceteros fugit, vni consuli Cn. Seruilio ius fuisse dicendi dictatoris.*

λ) L. VII. c. 9. *Quaesita ea propriae familiae laus, leuiorem auctorem Licinium facit*

μ) L. XXI. c. 38. *L. Cincius Alimentus, qui captum se ab Annibale scribit, maxime auctor me moueret, nisi confunderet numerum, Gallis Liguribusque additis.*

b) POLYBIVS L. I. c. 14. p. 18. ed. IAC. GRONOVII Amst. 1670. δια το τους εμπειροτατα δοκουντας γραφειν υπερ αυτου, Φιλινον και Φαβιον, μη δεοντως ημιν απηγγελκεναι την αληθειαν et L. III. c. 8. p. 229. is de Fabio hoc scribit: η μεν γαρ παρα τουτω αλογια, και χωρις της εμης εξηγησεως, αυτη δι αυτης δυναται θεωρεισθαι παρα τοις εντυγχανουσιν.

i) DIONYS. HALIC. L. IV. p. 225. Ενταυθα παλιν αναγκαζομαι μεμνησθαι Φαβιου, και το ραθυμον αυτου περι την εξετασιν των χρονων ελεγχειν.

k) VOSSIVS de historicis lat. L. I. c. 3. *In historia nimis studuit Romanis: vnde dum bellum Punicum descripsit, nec laudare sciuit Carthaginienses, nec candide exposuit, vbi peccarunt.*

l) L. I. p. 63. Κοιντιος μεν Φαβιος, ο Πικτωρ λεγομενος, ο Λευκιος τε Κιγκιος και Κατων Πορκιος και Πεισων Καλπουρνιος και των αλλων συγγραφεων οι πλειους ηκολουθησαν.

m) v. IO. CLERIC. Art. Crit. P. II. S. 1. c. 16. p. 332. edit. Amst. 1710.

§. VI.

Traditiones reiiciuntur.

v) Lib. VII. c. 6. *Fama rerum standum est, vbi certam derogat vetustas fidem.*

Alius superest fons isque corruptissimus, ex quo Liuius, quemadmodum ipse fatetur (*v*), saepissime hausisse videtur. Continet ille traditiones, a maioribus veluti per manum Liuio traditas. Inde, quod PERIZONIO iam suboluit *n*, tot historiarum monstra fuerunt enata, quae vnicuique, etiamsi tristius atque Cato in fronte gereret supercilium, risum tamen extorquere possent. Quare operae pretium esse ducimus, quam parum illarum auctoritati fidendum sit, ostendere. Eas a graui prudentique viro historiis non esse inserendas, cum VOSSIO *o* arbitramur. Traditio est enarratio facti cuiusdam ἀγράφου ab aliis accepta, ad alios deinceps transmissa et interdum ad seros posteros continuata. Propagari illa vel scriptis potest vel ore. Quodsi igitur vir prudens, integer vitae scelerisque purus, omnibus ad veritatem introspiciendam et consignandam subsidiis instructus, sui aeui res gestas ab obliuione vindicat, easque litteris mandatas ad futuros nepotes propagat; eiusmodi traditionis genus nequaquam repudiamus: cum primis quando ista facta a teste accepit, qui ipse rei gestae interfuit, cuncta explorata habuit, nullam probitati suae maculam adspersit, nullum mentiendi lucrum sibi propositum vidit. De iis iam nobis sermo est, quae oretenus fiunt, et inprimis remotioribus ex saeculis repetitae, solo hominum rumore ad alios perueniunt. Quo plura enim per hominum ora rumor pererrauit, eo plus inquinamenti plerumque trahere secum solet. Fama omnia in maius extollit et vires eundo adquirit. Iam malitia hominum, deliberato animo mendacium struit, illud pro vero venditatura: mox simplicitati et credulitati humanae petulantia aliorum imponit: mox ingenii vigor, si quae memoria exciderunt, alia fingit, quae in illorum locum substituat. Hinc ea, quae rem gestam comitata sunt, adeo vtplurimum solent vitiari, vt, quid distent

n) PERIZON. in animaduers. hist. c. 5. p. 184. *Fama incertis rumoribus vel obsoletis traditionibus plerumque innixa, res gestas populi sui vetustate obscuras, in maius semper imo in miraculum vsque extollere gestit. Nonnulla etiam istarum rerum pro veris tradita in Romanis historiis reperiri, quae praecipua quidem sui parte vera sint, sed tamen adiuncta etiam habeant poeticis fabulis et miraculis propiora quam historicae fidei et verisimilitudini, nemo, opinor, negabit.*

o) VOSSIVS de *arte historica* c. 11. *Historiae materia et seges est, non ea, quae rumore dispersa, sed quae prodita vel commentariis senatus, vel actis diurnis siue publicis siue vrbanis.*

ſtent aera lupinis, vix diſcernere queas. Ipſa etiam, ſi qua ſub his traditionibus latet res vere geſta, vel prorſus corrumpitur, vel erroribus ita circumducitur, vt in his nebulis difficulter poſſit dignoſci. Adde, quod incertus rei enarratae auctor, de cuius probitate et prudentia nemini conſtat, magnam fidei partem demat, ipſamque rem incertam faciat. Plurimum enim ad fidem dictis faciendam intereſt, vt ſciatur, quo potiſſimum auctore rumor ille in vulgus emanauerit. Nullus in hoc ratiocinio latet error: Si omnes vtcunque traditiones vni eidemque corruptionis periculo obnoxiae ſunt; nulli earum tuto fidere poteris. Nunquam enim te deſeret metus, anne haec quaecunque tuas perſonat aures, idem quod reliquae omnes, diſcrimen adierit. Quemadmodum enim miles ad bellum profectus, quum viderit ſuos commilitones Martis violentia oppreſſos et gladii furore dilaceratos, nunquam de ſua ſalute ſecurus eſſe, aut vitam ſe ad patrios Penates reportaturum certo ſpondere poteſt, commune illud periculum quod omnium militantium ceruicibus impendet, probe perſpiciens: ita etiam traditiones, quum communi veluti periculo expoſitae ſint, nunquam tibi certo perſuadere poterunt, ſe veras, integras, et nullo vitio eſſe contaminatas. Non omnibus in vniuerſum traditionibus dicam ſcribimus. Attamen illud prono veluti alueo ex his quae diximus non poteſt non fluere decretum, quod, ſicut nec nobis licet traditiones iſtas temere reiicere, ita neque alii cuidem liceat easdem amplecti, fouere, et tamquam veritates extra dubitationem poſitas vindicare. Quin potius in tanta harum traditionum ſuſpicione, ſemper verendum erit, ne decipiamur. Fauet noſtrae ſententiae BIERLINGIVS[p] monetque, nunquam nobis certum praeſto eſſe auxilium, quo veras a falſis diſtinguere queamus traditiones. Quum itaque nemini integrum ſit, famae confidere incertae, profecto hiſtoriarum ſcriptor leges ſibi conſtitutas transgreditur, ſi eam temere recipit et ad alios transmittit.

§. VII.

p) BIERLINGIVS de iudicio hiſtorico §. 8. p. 289. *Nec ſufficit ad demonſtrationem communis fama. Haec enim ex leui ſuſpicione aut plane nullo fundamento orta, augetur et creſcit eundo. Vnde mendacia non tantum e ciuitate in ciuitatem, ſed etiam e vicina domo in vicinam domum transferuntur, teſtante id quotidiana experientia. Ecquis vero nobis ſuppeditabit infallibile criterium diſtinguendi veram famam communem a falſa?*

§. VII.

Argumenta contrariam sententiam propugnantia pensitantur.

Iam eorum tela nobis erunt repellenda, qui traditionibus patrocinantes easdem omni nisu defendunt. Famam aliquam certam atque constantem fingunt, quam fidelem memoriae custodem adpellant, et a vago imperitarum de plebe muliercularum rumore longe diuersam esse contendunt. Hunc reiiciunt, illam amplectendam esse censent. Sed vnde quaeso constat, famam quam adeo commendas, non ab otiosa quadam muliercula tamquam ab infausta matre esse enatam? Vtinam signa adiiceres, quibus rumor ille vagus a fama constanti certissime dignosci posset. Nisi fallimur, hanc esse famam constantem opinaris, quae multos per annos continuata, a multis hominibus credita, tuas aures creberrime personuit: illum vero vagum rumorem nuncupas, qui tibi tuisque familiaribus parum innotuit. Sed vereor sane, ne hoc modo famam ex tuo ingenio metiaris. Alii famam istam constantissimam putabunt, quae tibi vaga videtur: tibi vero illa adridebit, quam alii tamquam nouam et nunquam antea auditam explodunt. Accedit, quod haec famae cuiusdam constantia non possit certum dici veritatis indicium. Constantissimis pontificiorum sermonibus tritum et peruulgatum est, angelos domum quam beata virgo inhabitauit, ex natali nostri Seruatoris solo in Italiam deportauisse: anne putas, fore, vt ipsa veritas eiusmodi commentum, quod inter multas gentes, non interrupta annorum serie propagatum est, ob constantiam suam adoptet? Eiusdem momenti est distinctio inter res priuatim et publice gestas. Illis tamquam inter priuatos priuatorum hominum parietes peractis, inconstantiae et incerti labem adhaerescere, his vero velut in totius orbis conspectu susceptis, tales naeuos nunquam posse impingi contenditur. Sed quotidiana experientia longe aliud omnes edocet. Quis enim quaeso est, qui magis hominum ora in se conuertat, quam viri principes, qui ad gubernacula reip. regendae sedent? Illorum res gestae eo minus in tenebris latere possunt, quo magis ciuium suorum mentes in ipsos defiguntur, et quo maiori amicorum seruorumque caterua quotidie stipantur. Credesne omnem mentiendi occasionem fraudulentis hominibus hic esse praecisam? Nunquamne fama ad tuas aures pertulit notissima regum Gallorum miracula, quorum digitis tam diuina vis innasci semper credita est, vt sine

vllo

vllo salubrioris medicinae auxilio, strumis, quibuscumque suam admouerint manum, statim mederentur? Bella geruntur. Proelio decernitur. Nullane illic mentiendi materia? Nunquamne diuersissimos caesorum numeros audiuisti? Nunquamne longe alium exercituum statum tibi fama nunciauit, quam in quo ipsi fuerunt? Sed inquies, critica manus admouenda est, quae fabulis istis, honestum mentientibus colorem, fucum adscititium abstergat et uestes meretricias exuat, quibus suam occultant deformitatem. Attamen, consideres quaeso quotiescumque illud acciderit, vt eiusmodi rumores, qui meretricum more, faciem suam, adhibitis medicamentis venustiori quodam infecerunt rubore, noua veste vultuque ad modestiam composito superbientes, sapientissimum criticum ad suos amores pellexerint. Neque euidens caussarum et euentuum nexus firmum est fulcrum, quo traditiones sustentari possint. Eximium illud Metamorphoseos ouidianae opus, mirifice caussas et euentus adamantino veluti vinculo nectit, et nihilominus ex fabularum poeticarum numero nunquam eximetur. Vnicum restat, in quod traditiones inaedificari solent, fundamentum. Quodsi nostrorum temporum ea praerogatiua est, vt famae nouam rem ex remotissimis terris adferenti credere liceat; quidni idem ius vetustati concedemus, quae ob vitae innocentiam morumque sanctitatem, velut exemplum quoddam in illustri monimento collocatum, nobis ad imitandum proposita est, quando Astraea nostras inuisa terras relinquens ad sedes beatiores euolauit, et, quod Horatius iam cecinit g:

Aetas parentum, peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Adeone rerum facies mutata est, vt, quod nobis licet, in iis vituperare debeamus? Sed diuersissima vtique res est, quando famae rem nudius tertius gestam adnuncianti, quae praeterea ipsis testium oculatorum suffragiis et publicarum litterarum fide continuata confirmatur, fidem meam adiicio, et quando Liuius aut Fabius Pictor res ante quadringentos annos gestas, vetustate sua oblitteratas, nullis, quae tum extarent, monimentis consignatas, tantummodo imperitae plebis

g) HORATIVS L. II. Od. 6.

plebis et illitteratae gentis incertis ſermonibus diuulgatas, incertiore adhuc fama percepit, inſcius, vtrum res vere geſtae ſint, nec ne. Ad mores vero quod attinet, etiamſi ad aurea vsque ſaecula retro abires, eamdem tamen, quam nunc, humani ingenii malitiam deprehenderes.

§. VIII.

Superſtitio Liuii notatur.

Non parum ſuperſtitio fidem hiſtorici debilitat, quae eum impedit, quo minus res ſacras deſcripturus, veritatem aequis paſſibus ſequatur. Superſtitio eſt vitium, quo actiones committuntur per erroneas de Deo et prouidentia diuina opiniones, quoad ea quae homini bona vel mala eueniunt determinatae. Quum igitur ipſe falſa pro veris amplectatur, falſa Dei cognitione imbutus: quum modum quo Deus colitur, vanitate quadam ductus amplificare laboret: euenire haud aliter poteſt, quam vt cognitioni vanitatique ſuae obtemperans, falſa et vana lectoribus ſaepiſſime obtrudat. Quare, quod experientia magiſtra edocti ſcimus, effectus naturae viribus productos, hebetiori tamen ingenio non ſtatim patentes, miraculis omnem naturae vim ſuperantibus adiunget, prodigia ab irato Numine profecta vbicunque locorum cernet, portenta aduerſos rerum caſus ſignificantia finget, et, ſi caerimoniae quaedam ſacrique ritus religionem ipſam nihil prorſus adiuuantes a ſacrificulo forte fuerint neglecti, id, velut crimen morte expiandum, ne qua Numinis ira concitetur, diris grauiſſimis exſecrabitur. Ex his ſi de Liuii ſtudio iudicare voluerimus, non poſſumus a ſuperſtitione ipſum immunem pronuntiare [r]. Tot enim prodigia, tot portenta, tot infauſta omina, tot deaſtrorum miracula, tot neglecti cultus externi diis debiti poenae ab eo commemorantur, vt quilibet emunctae naris homo animum ſuperſtitioni deditum ſtatim odorari poſſit (o). Atque ea cauſa fuit quare S. GREGORIVS adeo in Liuium eſt exacerbatus, vt ipſum in ignes conieciſſe feratur [s]. Sed neque hac in re Liuio defen-

o) v. L. I. c. 31, 39, 45. L. II. c. [illegible]. L. III. c. 10. L. V. c. 15, 32. L. VI. c. 33. L. VII. c. 28. L. IX. c. 39. L. X. c. 27. et innumera alia

r) v. *Oeuvres de* FRANCOIS DE LA MOTHE LE VAYER Tom. III. p. 189. de Liuio ita ait: *En verité jamais Hiſtorien n'a tant rapporté de ces vaines creances du peuple, qu'on en voit dans celuy-ci.* Cui prorſus ſubſcribit NICERON dans ſes *Memoires pour ſervir a l'hiſtoire des hommes illuſtres.*

s) v. FABRICIVS *Biblioth. Lat.* Vol. I. p. 198. VOSSIVS *de arte hiſtor.* c. 19.

fenſores defuerunt, qui eam ab ipſo iniuriam propulſare conati ſunt. Commune enim hoc cum reliquis hiſtoricis vitium Liuio fuiſſe contendunt, et propterea fabulas eiusmodi religioſas ipſi nequaquam vitio vertendas; quaſi vero errantium multitudo errori patrocinium pareret, aut religio effrenatam mentiendi licentiam hominibus indulgeret. Praeterea etiamſi quis ipſis ſacris paganorum innutritus Liuii iudex eligeretur: non tamen dubitamus, quin ob ingentem harum ineptiarum multitudinem, quas ſapientiſſimus quisque gentilium irriſit ſſ), ſuperſtitionis ipſum condemnaret.

§. IX.

Tolandi opinio ſub examen vocatur.

Longe alia via incedit TOLANDVS t) Liuii partes tuiturus. Tanta enim vehementia clientem ſuum a ſuperſtitione defendit, vt, quod FABRICIO u) iam ſuboluit, ipſum in vitia a tergo veluti obiecta praecipitet. Talem profecto nobis deſcribit Liuium, qui omnem deorum metum depoſuerit, ipſamque religionem, ad coercendos plebis rerum nouarum cupidiſſimae animos, inuentam ſpreuerit, exploſis exſibilatisque facetiis iis, quas per otium nefandi homines excogitauerant. Sed confutatus iam eſt a doctiſſimis viris x), qui noſtram operam praeuerterunt. Proinde pauciſſimis TOLANDI opinionem adgrediemur. Affert quidem TOLANDVS y) saepiſſime Liuii verba, ex quibus prima ſpecie adparere poſſit, Liuium religionem patriam pro puro politicorum commento in magiſtratuum ſubſidium et ſacerdotum emolumentum ſubtiliter excogitato habuiſſe. Sed ea pleraque ita comparata ſunt, vt extra nexum poſita, aliquam prae ſe ſpeciem ferant, ſi omnem vero totius ſermonis cohaerentiam ſpectaueris, vel nihil TOLANDVM iuuent, vel ipſam Liuii ſuperſtitionem mirifice confirment. Sic exemplum Romuli

ſſ) v. CICERO *de Diuinat.* L. II. c. 38.

t) v. TOLANDI *Adaeiſidaemon Liuii, ſiue Liuius a ſuperſtitione vindicatus.*

u) In Bibl. lat. P. II. p. 224. *Male de religione ac pietate, peſſime de Liuio meritus eſt Io. Tolandus, qui, vt illum a ſuperſtitionis culpa, quod multi iam ante illum fecerunt, abſolueret, adſtrinxit inuitum irreligioſitatis et ἀθεότητος crimine.*

x) v. FABRICII *bibliograph. antiqu.* c. 8. §. 7. p. 237. vbi illi recenſentur, qui aduerſus TOLANDVM pugnauere. BVDDEVS, *de Atheiſmo et ſuperſtitione* paſſim etiam TOLANDVM confutat, et V. C. M. CHRIST. GVIL. BOSIVS peculiari ſchediaſmate, idem negotium ſuſcepit, quod prod. Lipſ. 1739.

y) *Adaeis.* §. 5. p. 6.

in coelum abeuntis, cui magnopere TOLANDVS [z] innititur, magnam Liuii indicat superstitionem, omnes intendentis neruos, vt adpareat, Romulum non eo, quo alioquin Caesares romani more ad sidera esse relatum, sed longe augustiore modo, adhibitis miraculis humana reliquisse, ipsumque diuino sanguine natum, genuinam Martis fuisse prolem. Sic parum probat, quod TOLANDVS [a] Liuium loquentem mentiatur, nihil in speciem fallacius esse, quam prauam religionem. Etenim Postumium Consulem, in Bacchanalia, vbi per noctis silentium promiscua libido exercebatur, perorantem fingit Liuius (π) et nefanda scelera, quibus sacra nocturna erant polluta, abominantem. Quodsi igitur Liuius istam omnis generis corruptelarum officinam, aut turpissima crimina quae in religionem irrepserant, exsecrationibus grauissimis deuouet, inde tamen non consequitur, eum a superstitione cui se implicuerat, esse immunem. Dubitare quidem interdum videtur (ρ) de veritate prodigiorum, quae vulgo nuntiata erant. Sed plerumque tantummodo auctum vltra fidem eorum numerum incusat. Si autem, quod tamen rarissime euenire solet, quaedam eorum refellit, tum sane istorum vanitas vel simplicissimo homini statim in oculos incurrit, vel ipsa fama et imperitissimum vulgus iisdem iam denegauerat fidem. Neque nobis officiet, quod Liuius in prooemio operis sui fateatur, se haec et his similia, vtcunque animaduersa aut existimata fuerint, in nullo discrimine ponere. Etenim illorum morem sequitur Liuius, qui in limine sui laboris stantes, multa promittunt, vlterius vero progressi, spem quam de se fecerant egregiam frustrantur.

π) L. XXXIX. c. 16.

ρ) L. XXI. c. 61. L. XXIV. c. 10, 44.

§. X.

De credulitate Liuii agitur.

Cum superstitione sororio quasi vinculo sociata est credulitas. Illa circa religiosas res, haec cumprimis circa ciuiles peccat. Credulitas enim est facilitas mentis, quodcumque enarratum absque praeuio veri falsiue examine, suscipiendi. Vix exitiosa pestis corruptis contagioso tabo corporibus tantum periculum tantumque malum concitat: quantam noxam credulitas illa infectis hoc veneno animis historicorum infert [b]. Etenim si historiarum scriptor statim ad

z) TOLANDVS Adaeis. §. 7. p. 13.

a) Adaeis §. 14. p. 36.

b) BIERLINGIVS l. c. c. 3. §. 1. p. 136.

ad credendum pronus eſt, tum quemcumque rumorem, quibuscumque ab initiis profectus ſit, pro vero adripiet, et non tam res geſtas, quam fabulas mileſias conſarcinabit, iisque in vnum corpus redactis, ſub veritatis ſpecie poſteritatem decipiet. Quare inter cauſas omnium ferme mendaciorum VOSSIVS eamdem refert [c]. Liuium vero hac lue fuiſſe contaminatum, tot fabulae teſtantur quibus eius opus ſcatet. Mox enim Romulus tempeſtate quadam in coelum rapitur (σ): mox Tarquinio, carpento ſedenti cum vxore, aquila ſuſpenſis demiſſa leniter alis, pileum aufert, ſuperque carpentum cum magno clangore volitans, rurſus velut miniſterio diuinitus miſſa capiti apte reponit (τ): mox coruus repente in Valerii contra gallum dimicantis galea conſidet, et quotiescumque certamen initur, leuans ſe alis, os oculosque hoſtis roſtro et vnguibus adpetit (υ). Quae omnia ſerio et absque vlla haeſitatione commemorat, etſi, quam falſa, quam inepta, quam futilia ſint, vnicuique, niſi oculos ipſe occludat, ſtatim adpareat. Quid igitur mirum, quod nimia credendi libidine adeo abreptus, in ea, quae cum rei natura vel prorſus pugnant, vel ſaltim non conueniunt, parum inquirat, minime ſollicitus, vtrum res quaedam probabilis ſit, nec ne. Duo tantum, ne faſtidium lectoribus creem, eiusmodi exempla, quae a veriſimilitudine longiſſime recedunt adferam. Iter illud, quo Annibal alpes transgreſſus eſt, tantis obſeptum difficultatibus deſcribit Liuius, vt vix putares, Annibalem ibi exercitum ſuum traducere potuiſſe. Proinde etiamſi in itinere hoc exponendo plerumque veſtigiis POLYBII inſiſtat Liuius, aberrat tamen interdum ab iisdem, miraculo rem augens, et in ea vitia incidens, quae POLYBIVS in his qui tranſitum illum Annibalis in Italiam commemorauerant, optimo iure vituperauit [d]. Nihil vero magis oculos in ſe conuertit, quam quod Annibal ardentia ſaxa infuſo aceto putrefeciſſe (φ), atque ita viam ſibi aperuiſſe dicatur. Aceto ſaxa rupesque tam breui tempore putre-

σ) L. I. c. 16. et L. V. c. 24.

τ) L. I. c. 34. Ad haec CLERICVS: *Et res*, inquit, *et verba poetam magis decebant quam hiſtoricum.*

υ) L. VII. c. 26. vbi CLERICVS: *Admirabilius eſt, Liuium nulla re ſignificaſſe, ſe eiusmodi fabulae fidem non habere, quod in tam graui hiſtoria par fuit.*

φ) Liuius L. XXI. c. 37.

 fieri

p. 136. impedimenta veritatis hiſtoricae deſcribens, *Naeuus*, inquit, *maxime notabilis, qui iudicandi facultatem corrumpit eſt credulitas.*

c) VOSSIVS *de arte hiſtor.* c. 9. *Cauſae cur hiſtorici ſaepe falſum referant, eſt partim adfectus, partim nimia credulitas.*

d) POLYBIVS Hiſt. L. III. c. 47. p. 278. *Ενιοι τε των γεγραφοτων περι της υπερβολης ταυτης, βουλομενοι τους αναγινωσκοντας εκπληττειν τη περι των προειρημενων τοπων παραδοξολογια, λανθανουσιν εκπιπτοντες εις δυο τα πασης ιςοριας αλλοτριωτατα. και γαρ ψευδολογειν, και μαχομενα γραφειν αυτοις αναγκαζονται.*

fieri posse, omnem excedit fidem. Vnde enim tanta aceti copia, quanta perficiendo huic operi suffecisset? an ex vltimis Africae terris secum adportauit? an ex incultis circumquaque regionibus petiit? Quodcumque pro certo adfirmaueris, maioribus, quam quae antea tibi obiectae erant, difficultatibus te implicabis. Neque vnquam ea aceti vis fuit, vt durissima saxa emolliret, quae vix aqua fortis subigeret. Quinimo infusum igni suffocauisset potius flammas, quam vt iisdem saxa comesturis maiores vires addidisset. Propius ad veritatem accedit SILIVS ITALICVS [e], qui licet poetarum more, infestum tantis periculis iter Annibalis describat, tamen solo igne, nequaquam vero infuso aceto saxa domita esse canit. Praeterea vnde immanes hae arbores, quae deiectae erant, quum illic rupes et saxa essent, et perpetuae niues, quas ne aestiuus quidem solis calor liquefacere poterat, sed super intactam veterem niuem, noua semper esset effusa. Siluae quidem erant in subiectis huic iugo, quod Annibal iam occupauerat, locis. Sed vix vero videtur simile, milites qui longis itineribus iam fessi erant, et immensos labores in superandis hisce saltibus exantlauerant, nunc ad eadem, ex quibus vix semianimes emerserant, pericula esse relapsos, aut, licet iam desperatio ipsorum mentes subiisset, tamen ex remotioribus iugis, vbi neque sustinere se a lapsu, nec, si qui paululum titubassent, haerere adflicti vestigio suo poterant, densissima robora aduexisse. Neque NEPOS [f], qui illud Annibalis iter et grauissimos labores delineauit, neque POLYBIVS [g], qui magna ex parte Liuio viam praeiuit, vel vnico verbo infusi saxis aceti mentionem fecere. Quin potius et POLYBI-
x) L. V. c. 34. VS [h] et Liuius (x) ipse fatentur, Gallos iam ante Annibalis aduentum Alpes

e) SILIVS ITALICVS L. III. v. 640.

Iamque vbi nudarunt silua densissima montis,
Adgessere trabes, rapidisque accensus in orbem
Excoquitur flammis scopulus. mox proruta ferro
Dat gemitum putris, resoluto pondere, moles,
Atque aperit fessis antiqui regna Latini.

f) CORN. NEPOS in Annibale c. 3.

g) POLYBIVS historiar. L. III. c. 55. p. 289. *Και μετα ταυτα παραστησας τα πληθη, το κρημνον εξωκοδομει μετα πολλης της ταλαιπωριας.*

h) POLYBIVS L. III. c. 48. p. 279. ed. cit. vbi in historicos negligentiores animaduertit: *ουχ ιστορησαντες γαρ οτι συμβαινει τους Κελτους, τους παρα τον Ροδανον ποταμον οικουντας ουχ απαξ ουδε δις προ της Ανιβου παρουσιας, ουδε μην παλαι, προσφατως δε μεγαλοις στρατοπεδοις υπερβαντας τας Αλπεις παρατεταχθαι μεν Ρωμαιοις.*

Alpes transiiſſe, quare vix Poenus tam hebeti ingenio fuiſſe credendus eſt, vt non eam, quam Galli iam antea ſtrauerant, viam ſit ſcrutatus. Eodem modo a veriſimilitudine recedit Liuius (ψ), Fabios ψ) L. II. c. 49. 50. ad vnum omnes a Veientibus eſſe caeſos exponens. Sex et trecentos Fabios, omnes patricios, omnes vnius gentis eo tempore vixiſſe, quo Roma adhuc in ſuis incunabulis erat, et nondum adeo incolis abundabat, vix fidem meretur. Sed de eo minus dubitabimus, quam de hoc, num ad vnum omnes fuerint caeſi, vnico tantum impuberis aetatis ſuperſtite puero. Id omnem fidem excedit, quod tanti viri, quorum nonnulli conſulatum geſſerant, exercitus aduerſus hoſtes eduxerant, omnes patricii, quorum neminem ducem ſperneret egregius quibuslibet temporibus ſenatus, qui ſuam paucitatem viresque hoſtium probe nouerant, tam temerarium iniuerint conſilium, vt ſe ſolos ſuis viribus hoc bellum gerere poſſe, et pares inceptis ſuis euentus fore crederent. Nec maiorem merebitur fidem, quod duces rei militaris peritiſſimi adeo rebus ſecundis luxuriauerint, vt ſua arma neque vllo loco neque vllo tempore ſuſtineri poſſe temere putarent, vt, nullo relicto Cremerae praeſidio, incauti, non emiſſis antea exploratoribus, palantesque in agris in inſidias hoſtium irruerent. Anne tum putas omnes glorioſam pro patria mortem oppetere, quam fuga ſalutem quaerere maluiſſe? Anne cuncti vnius gentis, adeo prouecti iam aetate fuerunt, vt arma ferrumque omnes tum portare poſſent, et non niſi vnico veniam militiae recuſandae impuber aetas concederet? Mirum ſane eſt, quod haud quibusdam eorum, qui non more ſolum conſueto, ſed et lege ad contrahenda matrimonia feſtinare debebant [i], neque impuberes nati, fratresue, neque grauidae vxores domi remanſerint, vnde nominis fabiani conſeruatio eſſet expectanda; ſed vnicus tantum velut emortua in ſtirpe reſtiterit ſurculus, qui ſolus paternae virtutis gloriam propagaret. Quocirca longe veroſimilior eſt ſententia DIONYSII HALICARNASSEI [k] memorantis, M. Fabium, quatuor millia hominum,

i) CLERICVS *ad Liu.* L. II. c. 29. *Mirum eſt hoc Liuio non ſuboluiſſe, ſed ſaepe veroſimilibus praetulit incredibilia.*

k) DIONYS. HALICARN. L. IX. p. 549. ηγειτο δε αυτων Μαρκος Φαβιος ο τω παρελθοντι υπατευσας ετει, και ενικησε τους Τυρρηνους τη μαχη, τετρακισχιλιους μαλιστα επαγομενος, ων το μεν πλειον, πελατων τε και εταιρων ην. εκ δε του Φαβιων γενους εξ και τριακοσιοι ανδρες. Continuat deinde hanc hiſtoriam referre, ſed diuerſam a Liuii enarratione, attamen veroſimiliorem, et p. 553. fabellam trecentorum caeſorum ipſe refellit, neque veram neque viriſimilem eam adpellans.

num, et inter eos ſex et trecentos e gente fabia, aduerſus Veientes eduxiſſe. Magis tamen nobis probatur PERIZONII [l] a tricis ſuis hanc hiſtoriam repurgantis ſententia, qui Fabios neque omnes patricios, neque vnius gentis, ſed eos etiam in horum trecentorum numerum fuiſſe adoptatos arbitratur, qui tum Fabiorum clientelae fuerunt addicti. Et quoniam paulo poſt hanc cladem acceptam tres ſimul Fabii ſupererant, recte colligit, non omnes vna internecione eſſe deletos. Concinunt quidem cum Liuio peligneus vates [m], et SILIVS ITALICVS [n], ille gratiam patroni ſui aucupaturus, hic vero inſignem populi Romani gloriam celebraturus, neuter a partium ſtudio alienus. Sed quoniam poetae verborum magis lenocinia, quam veritatem ſubinde captant, et quando in altum vela dare ſolent, ipſam ſaepe in continenti relinquunt, non tuto hiſtoriarum adparatus ab iisdem poterit peti. Neque aliorum teſtimonia, qui eamdem quam Liuius hiſtoriam minus probabiliter recenſent, de ſua ipſi fidem addent, quum in eadem, qua ille ſint culpa, et vel ex ipſius Liuii annalibus, vel ex iisdem quibus ille corruptis fontibus ſua hauſerint.

§. XI.

De negligentia Liuii, et ſpeciatim de eius nimiis dubitationibus, variisque contradictionibus.

Negligentia eſt vitium, quo quis leuitate animi ductus, debitum ſtudium in rebus pertractandis non ponit, credulitati adeo propinquum, vt ipſam huius matrem haud immerito adpellare poſſis. Procreat illa praeter credulitatem alias ex ſe filias matri haud diſſimiles, frequentes dubitationes, contradictiones, rerum neceſſariarum intermiſſiones, et temporum errores. Dubitationibus illi inſiſtunt, qui Liuio patrocinari, eumque a credulitatis crimine vindicare ſtudent. Sed tali *Cauſa patrocinio non bona peior erit.*

Namque

l) PERIZONIVS *in animaduerſionibus hiſtoricis* c. 5. p. 194. quae eius opinio multum roboris ex Dionyſii narrationibus habet.

m) OVIDIVS *Faſt.* L. II. v. 235.

Vna dies Fabios ad bellum miſerat omnes
Ad bellum miſſos perdidit vna dies.

Idem ex Ponto L. I. ep. 2. ad Fabium ita ſcribit:

Qui naſci vt poſſes, quamuis cecidere trecenti
Non omnes Fabios abſtulit vna dies.

n) SIL. ITAL. L. II. v. 3.

- - - Fabius Tirynthia proles
Ter centum memorabat auos, quos turbine Martis
Abſtulit vna dies, quum fors non aequa labori
Patricio Cremerae maculauit ſanguine ripas.

Namque si quis aniles fabulas, quas primo statim intuitu auersari debebat, tanti habet, vt ipsis idem pondus inesse putet, quod argumentis ex rei natura depromtis, is nimia credendi libidine teneatur oportet. Quapropter quum non iusta lance, rei quam exponit, naturam perpensitauerit, satis id esse ducens, dummodo suum cohibeat adsensum, non iniurii in Liuium erimus, si, ipsum debitam in rebus perscrutandis operam non collocauisse, adfirmamus. Inuestigare enim antea debebat, num fieri posset, vt nouacula cos discinderetur, vt pecora humanam vocem imitarentur, vt volucres humanum sodalitium alioquin fugientes, nulla hominum arte mansuefacti naturam suam dediscerent, et tamquam famuli ad eiusmodi seruitia adsueti, pileum in caput domini sui apte reponere callerent, num ex vaporibus e terra exhalatis adeo foecundum fieri coelum posset, vt carne plueret: inuestigare, inquam, ea prius debebat, quam litteris, siue sub veri siue sub incerti titulo consignare. Atque eo magis haec sententia confirmatur, quo magis etiam in maioris momenti rebus, fluctuantem animo et quas in partes se vertat nescientem Liuium videmus. Minus excusari potest ea, qua sibimetipsi interdum contrariatur, negligentia [o]. Sic commemorat praemia, quibus Mericus Hispanus ob proditam Romanis Nasum, arcem Syracusanam, et quod ibi praesidii erat, fuerit ornatus (ψ): quum tamen antea, non tam Nasum, quam Achradinam, partem vrbis Marcello Mericus commisisse, Nasus vero vi a Romanis expugnata dicatur (ω). Eodem modo sese res habet, quum Pleminius, ob nefanda scelera Locris admissa, in carcerem coniectus, mortuus prius in vinculis dicitur, quam iudicium populi de eo perficeretur (α), quem tamen paulo post poenam sustinuisse, quinimo necatum esse commemorat Liuius (β). Quodsi vero opportuna mors Pleminium poenae subtraxit, qua ratione ipse poena adfectus atque necatus dici potest? Plura eiusmodi negligentiae Liuio inhaerentis exempla afferre possemus, sed plura desiderantes ad PERIZONIVM ablegamus [p], ad alia momenta iam progressuri.

ψ) L. XXVI. c. 21.

ω) L. XXV. c. 30.

α) L. XXIX. c. 22.

β) L. XXXI. c. 12. et L. XXXIV. c. 44.

§. XII.

o) PERIZONIVS in *Animadu. hist.* c. 7. p. 327. *Longe grauioris est, nec ferendae in historicis inconstantiae, quando illi vno in opere sibi ipsi contraria vel certe diuersissima de vna re, vno tempore facta, sine vlla alterioris opinionis alibi a se relatae mentione scribunt.*

p) PERIZONIVS in animaduers. hist. c. 8. seqq.

§. XII.

De temporum erroribus et rerum necessariarum intermissione.

Praeter ista quae iam monuimus, in exponendo consulum ordine et supputandis rerum gestarum temporibus, Liuius saepissime est hallucinatus. Pauca tantum horum mendorum exempla in medium proferemus. Sic anno V. C. CCLV. A. Postumium Dictatorem fuisse narrat (γ), quem DIONYSIVS q, et, qui huius vestigia sequitur PIGHIVS r, ad annum V. C. CCLVIII. referunt. Sic eodem in capite Tarquinius superbus in exercitu Latinorum fuisse, et cum dictatore dimicasse dicitur; qui Tarquinius iam nonagenarius senex et aetate ac viribus grauior erat, quam vt subeundo certamini par esse posset. Hinc merito Liuium DIONYSIVS s confutat, et in Superbi locum Titum et Sextum Tarquinios substituit. Sic anno V. C. CCXLVII. P. Valerio Poplic. collegam adiungit P. Lucretium (δ), quum tamen ex DIONYSIO t constet, quod etiam PIGHIVS u notauit, cum Valerio consulatum gessisse M. Horatium. Et ante Nautium ad annum CCLXIIII. et LXV. duplex par consulum fuit omissum (ε). Illud praeterea magnam Liuii negligentiam indicat, quod in describendo bellorum adparatu, habendis delectibus, bellis gestis, proeliorum varia fortuna, internis seditionibus, iusto diutius commoretur, et, quibus artibus domi, quiete ab externis internisque hostibus parta, res fuerint auctae, quae pacis foederumque ictorum conditiones, quis iudiciorum exercendorum status; quae magistratuum propensiones, quae ciuium, impetrata pace, praecipua negotia, quae artium apud Romanos origines et incrementa, quae iuuentutis educandae ratio, et vt multa paucis complectar, quis vrbis romanae domesticus fuerit status, prorsus ferme omittat. Vnusquisque qui vel a limine romanas Liuii historias salutat, ingentem harum rerum penuriam animaduertet. Aliud negligentiae documentum CLERICVS x adiecit, harum rerum sagacissimus prudentissimusque iudex. Saepe in consequentibus eorum mentionem facit Liuius,

γ) L. II. c. 19.

δ) L. II. c. 15.

ε) Liu. L. II. c. 39. v. PIGHIVS p. 94.

q) DIONYS. L. VI. p. 328.
r) PIGHIVS in annalibus magistratuum et prouinciarum S. P. Q. R. L. II. p. 86.
s) DIONYSIVS l. c. p. 330.
t) DIONYSIVS HALIC. L. V. p. 281.
u) PIGHIVS l. c. L. II. p. 74.
x) CLERICVS in Not. ad L. I. c. 44. *Est rectae narrationis regula, nihil in se-*

ulus, quae iusto loco in antecedentibus silentio praeteriit. Duo tantum testimonia a CLERICO iam animaduersa proferemus. Sic censum metu legis de incensis latae maturatum commemorat Liuius (ζ), nulla mentione facta, neque quo tempore, neque a quo lata, aut cuius carminis lex ista fuerit. Multum sane ad huius historiae intelligentiam conducere poterat, si Liuius pleniorem eius legis dedisset descriptionem. Eodem modo dictatorem T. Quintium Cincinnatum Praenestinos ad Regillum lacum deuictos, centum annorum pace obnoxia, tenuisse, auctore Liuio scimus (η). Sed pax illa, quae cum hostibus ad Regillum lacum ante centum, aut, quod CLERICO teste, rectius dicitur, centum et viginti annos fuerat facta, prorsus a Liuio est neglecta. Praeterquam enim, quod ad lacum Regillum eo tempore pugnatum esse, et dictatorem magistrumque equitum triumphantes Romam rediisse commemoret, neque vola neque vestigium de facta pace, inito foedere, eius conditionibus, et reliquis huius rei gestae momentis adparet.

ζ) L. I. c. 44.

η) L. VI. c. 38. conf. L. II. c. 20.

§. XIII.

Historicus debet velle scribere verum.

Inprimis etiam historicus, partibus suis rite functurus, posthabitis reliquis omnibus, debet velle scribere verum. Sed proh dolor! per plerorumque ingenia tabes quaedam serpsit, eaque, quod VOSSIVS recte conqueritur [y], mentiendi quadam libidine infecit. Mox enim historiarum scriptores tantus erga suam gentem capit amor [z], vt ipsam nimiis encomiis exornent, et, si quidquam contigerit, quod istius gloriam obfuscet, illud vel prorsus dissimulent, vel, omni adhibita arte, eleuent: mox vero egregia ciuium suorum facinora, nimiis laudibus extollunt, et

de magnis maiora loquuntur:

mox

in sequentibus dicere, quod non ex antecedentibus intelligi queat, aut certe, quod non exponatur, vbi primum occasio postulat. Et in *Arte Crit.* P. 3. Sect. 3. c. 5. §. 12. *Possem et aliud omissionis genus in Q. Curtio ostendere, sed quod ei cum praestantissimis historicis commune est, quamuis cum adcuratae narrationis legibus non consentiat. Saepe nimirum ex serie orationis animaduertimus, in antecedentibus omissam esse circumstantiam, ex qua, quae postea dicuntur, pendent. cet.*

y) VOSSIVS de arte hist. cap. 9. *Non satis est, vt absit mentiendi libido, qua tamen multi historicorum minime vacant.*

z) BIERLINGIVS de Pyrrhonismo historico c. 3. §. 12. *Magnifice sentiunt homines de patria sua, de rebus ad eam pertinentibus, aliterque sentire sibi religioni ducunt.*

mox amicitiae, quam cum aliis contraxerunt, tantam curam habent, vt amicorum omnia probantes laudantesque, naeuos quibus hi interdum deformantur, velut obliuione sempiterna sepeliant.

§. XIV.

Nimium laudat Liuius populum Romanum.

His vitiis vnus omnium maxime laborat Liuius. Adeo romanae gloriae velificatur, vt nunquam Romanos aduersi quidquam perpessos, sed vnam victoriam iis instrumentum alterius fuisse putes. Audi quaeso magnifica verba, quibus Romulus inuictam ciuium suorum potentiam praesagire a Liuio fingitur (θ). *Sciant, et ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse.* Hinc adeo romanum nomen diis immortalibus curae cordique fuisse mentitur, vt ipsi vnanimi consensu ad augendas Romanorum opes conspirasse, et fortunam, quasi inconstantiam suam mutauisset, iis comitem perpetuam adiunxisse videantur. Quare si quando romana acies in proelio periclitari coeperat, aderant statim dii votis euocati, qui et effusam Romanorum fugam sisterent, et ceu milites mercede conducti, aduersus nominis romani hostes dimicarent. Sic quum minus felici successu aduersus Latinos pugnaretur, P. Decius C. pro salute ciuium suorum deuotus, statim, ira deorum placata, terrorem a suis auersum in hostes conuertit, vt Latini haud secus quam pestifero sidere icti pauerent, et animis consternati fugam ac vastitatem late facerent (ι). Sic Romulus, Statori Ioui templum (κ), et Tullus duodecim salios fanaque Pallori ac Pauori vouens (λ), vterque praesentissimum Numinis auxilium experiebatur. Ita sperabat Liuius magnum apud posteros romano nomini accessurum esse honorem, si ipsi dii contra P. R. hostes pugnauisse, et ne ipsius gloria vnquam deprimeretur, sedulo cauisse dicerentur. Praeter sexcenta alia exempla, quibus nimium erga Romanos fauorem euidentissimis indiciis prodidit, vnicum proferemus, quo comparationem Alexandrum inter et Romanos instituit, aliorumque indignationem commouit. Fidem fere superat, quam inique de rebus Alexandri M. et quam magnifice de romana virtute Liuius sentiat *. Omnia arbitratur, sicut

θ) L. I. c. 16.

ι) L. VIII. c. 9.

κ) L. I. c. 12.

λ) L. I. c. 27.

*) Niceron Memoires pour servir a l'histoire des hommes illustres Tom. V. p. 171.

ſicut ab aliis regibus gentibusque, ita ab hoc etiam facile praeſtare inuictum Romanum imperium (μ). Verum quam falſa iactitet, cuilibet patebit, conſideranti, quod Romani iam a Porſenna debellati; a Samnitibus ſubiugati, a Gallis intra moenia ſua capti, ab Hannibale niſi hunc ſuorum inuidia debilitaſſet, prorſus fuiſſent deleti. Sed eorum omnium obliuio Liuium iam ceperat, hinc ab ingeniis et fortuna ducum exorſus, duces ducibus comparat. Alexandrum vnum, adoleſcentem, et in incremento rerum fuiſſe, ait, huicque ingentem ſenatorum cateruam opponit, quorum quilibet vnus veram romani ſenatus ſpeciem habuerit. Sed ſi multitudinem ducum ſpectaueris, plures adhuc erant in exercitu Alexandri militum praefecti, qui omnes nemini regum virtute cedebant. Praeterea ſenatores illi romani vix vni aut duobus praefuerant proeliis, magis ad rixas cum plebe ferendas, quam ad iuſta bella idonei: Alexander vero omnibus praefuerat bellis, rerum militarium notitia, ſi quis alius egregie inſtructus, duces ipſius agmina ſemper duxerant, et regem ſuum quacunque euntem, comitati erant, eorum omnium, quae ad bella feliciter gerenda pertinent, peritiſſimi. Nec romanis vnquam ea animi indoles, nec in ſuſtinendis laboribus patientia, nec in inſtruenda acie ſagacitas, nec in proelio conſerendo calliditas, nec in rebus perficiendis eadem, quam Alexandro M. fortuna fuit. Non cum Dario rem Alexandro fuiſſe futuram, pergit ſuperciliofe Liuius: quaſi hunc ſolum regem Alexander viciſſet. Sed ſubiugauit et alias, easque potentiſſimas gentes, munitiſſimas vrbes ſub ſuam ditionem redegit, altiſſima montium iuga, inuios ſaltus, maxima flumina, aliasque difficultates feliciſſime ſuperauit; quum Romani tantummodo intra Italiae fines, cum populis iam vinci adſuetis eo tempore decertarent. Si vero Alexander, quod porro Liuius addit, rebus ſecundis merſus, fortuna deſtitui, idem quoque Romanis accidere poterat, quos iam tempore gallici tumultus, fortuna elatos ho-

μ) L.IX. c.17.

 ſtem

p. 171. *La digreſſion que fait Tite Live ſur Alexandre le grand, ne lui a pas fait bonneur.* Cum quo conferri merentur Oeuvres de Francois de la Mothe le Vayer Tom. III. p. 192. *La queſtion etoit belle, mais il l'a traité ſi desavantageuſement d'une coté, et avec tant de flatterie de l'autre, quand il egale dix ou douze Capitains Romains a cet invincible Monarque, que c'eſt l'endroit de tout ſon ouvrage, qui contente le moins un lecteur judicieux. Pour n'en point mentir, cette digreſſion dans toutes ſes parties eſt plus digne d'un declamateur, que d'un hiſtorien de la reputation de Tite Live.*

ſtem contemnere vidimus. Praeterea Alexander ſi arma in Europam vertiſſet, in medio victoriarum curſu, deuictis Graecis, Perſis Indisque, Romam aduenißet, non vero tum, quum cetera inuictus, a vitiis victus metam iam bellis ſuis poſuerat. Conſulibus vero et dictatoribus nullam fuiſſe aduerſam fortunam, nihil huc facit, quoniam ipſorum imperium paucis tantummodo annis circumſcribebatur. Militum copia et virtute Alexander Romanos longe ſuperabat. Paruam ipſe ſed delectam ducebat manum, et ſi multitudine opus, innumerum exercitum ex deuictis terris conſcribere poterat. In perferendis vero laboribus, macedone milite nemo melior erat. Sed Liuius nimio gentis ſuae amore occoecatus, omnem eloquentiae vim ad celebrandam vnice Romanorum gloriam impendit. Non infitiamur, magnam rectiſſime dici vrbis romanae virtutem; ſed tantam fuiſſe quantam eam Liuius depingit, et quanta vulgo ſolet celebrari, merito dubitamus [b].

§. XV.

Liuius Romanorum dedecora ſubinde diſſimulauit.

Maximum, quod Romani vnquam ſubierunt periculum, fuit clades illa a Gallis accepta. Sed audi quaeſo, qua arte dedecus illud Romanis impreſſum, eluet Liuius, quo romanam virtutem ab omni opprobrio intactam conſeruet. Non enim culpam acceptae cladis in ignauiam aut timorem militis romani, ſed in iram deorum neglectorum, negligentiam ducum, et paucitatem militum, refert, ſuperantibus inſuper Gallis multitudine exiguam Romanorum manum (v). Ipſamque vrbem non Gallorum arma, fractis aut debilitatis Romanorum ingentibus animis, ſed publicus priuatusque luctus, et neſcio quae fatalis ſecuritas ex Liuii opinione oppreſſit. Sic latebras quaerit, quibus contumeliam romanam occultare poſſit, minorem illam fore ſperans, ſi in alios culpam coniiciat, Romanosque non tam a maiori hoſtium fortitudine, quam dura quadam neceſſitate victos, inueteratam vniuerſae gentis gloriam integram conſeruauiſſe adfirmet. Et vt eo magis adſperſam gloriae romanae maculam aboleat, Camillum excitat, qui fuſis fugatisque Gallis, ab omni miſeria pariter atque ignominia Romanos liberet. Sed

v) L.V. c. 38. *Ibi tribuni militum non loco caſtris ante capto, non praemunito vallo, quo receptus eſſet, non deorum ſaltim, ſi non hominum memores, nec auſpicato nec li-*

b) BIERLINGIVS de Pyrrhoniſmo hiſtorico c. III. §. 12. *Romanos ſapientiſſimos, cordatiſſimos et iuſtiſſimos mortalium fuiſſe, peruulgatum adhuc hodie eſt praeiudicium, ab hiſtoricis claſſicis, quibus a teneris adſueuimus, hauſtum.*

tato instruunt aciem. Et paulo post: *Regulus Gallorum in paucitate hostium artem maxime timens.*

Sed si statum consideraueris, in quo tum res romanae fuerunt, num abs te impetrabis, vt credas, quod Camillus, paucis qui Veios fugerant, Romanis armatis, iisque non iusta Latinorum manu, sed paucis ex Latio profugis iunctis, tam exiguo et tumultuario exercitu instructus, cuius plerique memoria pristinae cladis perterriti erant, victores Gallos, instructa acie, hostem intra vrbis moenia opperientes, internecione deleuerit, illis praeterea qui in arce erant, adeo fame emaciatis, vt ne arma quidem ferre, nedum Camillum adiuuare possent (ξ). Hinc factum est, vt POLYBIVS hanc historiam longe aliter enarret [c], SVETONIVS tamquam famam vulgarem contemnat [d], et IVSTINVS de victis Gallis nihil prorsus commemoret [e]. Maiorem erga Romanos fauorem Liuius prodit, captam a Porsenna vrbem, victosque Romanos dissimulans (o). Sed anne verisimile esse putas, regem regnandi cupiditate, vt ex historiis adparet, accensum, insigni ambitione incitatum, qui, occupato iam Ianiculo, et vrbe in qua summa annonae caritas erat, in maximas angustias redacta, certissimam victoriam in manibus habebat, ipsam Romanis obsessis pacem obtulisse, et infectis rebus ab vrbe discessisse? Scelestissimum Scaeuolae ausum exacerbauisset potius iustissimam regis iram, quam vt muliebrem ipsi timorem iniecisset [f]. Si TACITO et PLINIO fides habenda, alia omnia euenerunt. Ille enim haud obscure fatetur, vrbem romanam Porsennae esse deditam [g], hic vero tales pacis conditiones a Porsenna Romanis impositas tradit, quales alioquin victores victis irrogare solent [h]. Et DIONYSIVS commemorat, senatum romanum eiusmodi insignia Porsennae trans-

ξ) L. V. c. 48. *Obruentibus infirmum corpus armis.*

o) L. II. c. 9. et 13.

c) POLYBIVS L. II. c. 18. p. 148. *γενομενȣ αντισπασματος, και των Ουενετων εμβαλοντων εις την χωραν αυτων, τοτε μεν ποιησαμενοι συνθηκας προς Ρωμαιους, και την πολιν αποδοντες επανηλθον εις την οικειαν.* conf. L. I. c. 6.

d) SVETONIVS in Tiberio c. III.

e) IVSTINVS L. XXIV. c. 4.

f) His, quae de Mucio Scaeuola Liuius narrat, multo probabiliora a DIONYSIO lib. V. p. 286. exponuntur. Dextram vero Scaeuolae manum esse combustam prorsus ignorat DIONYSIVS, et potius p. 287. Scaeuolam tormenta deprecantem inducit: *Βασανους δε και τας αλλας υβρεις ει μοι παρειης, πιστεις δους επι θεων, υπισχνουμαι σοι μεγα πραγμα δηλωσειν και προς την σωτηριαν ανηκον σοι.*

g) TACITVS Hist. L. III. c. 7. *Sedem Iouis O. M. auspicato a maioribus imperii pignus conditam, quam non Porsenna, dedita vrbe, neque Galli capta temerare potuissent, furore principum exscindi.*

h) PLINIVS Nat. Hist. L. XXXIV. c. 14. *In foedere, quod expulsis regibus, populo Romano dedit Porsenna, nominatim comprehensum inuenimus, ne ferro, nisi in agricultura vterentur.*

transmisisse, quae ipsi olim a Toscanis victores declarati acceperant [i].

§. XVI.

Exempla, quae vituperanda erant, laudat.

Speciatim Liuius facta Romanorum laudat, quae si rectius examinaueris, reprehensione potius digna erant. Quam scelestum sit illud, quod a Mucio Scaeuola perpetratum dicitur facinus, vnicuique patet. Eiusmodi crimen morte potius expiandum, quam singulari laude et proemio dignum erat. Regem enim, quem ipsi dii ex paganorum quoque sententia sacrum esse volebant, non quidem aperto Marte, sed sicarii more trucidare velle, animum omnis legis contemtorem indicat. Neque id generosi spiritus signum est, si quis animum ab omni sensu alienauit, vitam adeo vilipendens, vt eam euidentissimis periculis obiiciat, et corpus suum ipse mutilare non vereatur. Nunquam animi ad magna nati, sed vilissimae animae talia audent [k]. Et tamen illud scelus eximio virtutis nomine insigniuit Liuius (π). Nec maiorem laudem meretur Cloeliae ad publica decora excitatae virginis audacia. Illa custodes frustrata, ex castris Porsennae, in quibus obses tenebatur, aufugit, Tiberimque tranans se suasque comites suis restituit. Sed eiusmodi temeritas, qua fides publica frangitur, reprehensionem magis et castigationem, quam aliquem honorem meretur. Saltim haec nulla virtus erat, quod fraudulentis consiliis agitatis, ad quae muliebre ingenium inprimis procliue est, custodes falleret, et fidem, qua pro patria sua obstricta erat, peruerse violaret. Nihilominus Liuius adeo in admirationem puellae deceptricis rapitur, vt ipsius vitia in virtutes commutet (ρ).

π) L. II. c. 13. *Ergo ita honorata virtute.*

ρ) L. II. c. 13. *Et apud regem non tuta solum, sed honorata etiam virtus fuit.*

§. XVII.

Amicis suis nimium fauorem exhibuit Liuius.

Sic etiam amicorum suorum fuit aestimator Liuius, vt legum amicitiae colendae seruandarum nimium studiosus, leges scribendarum

i) DIONYS. L.V. p. 303. η δε των Ρωμαιων βουλη μετα την απαλλαγην των Τυρρηνων συνελθουσα, εψηφισατο Πορσινω μεν πεμψαι θρονον ελεφαντινον, και σκηπτρον και στεφανον χρυσεον, και θριαμβικην εσθητα υφ ης οι βασιλεις εκοσμουντο.

k) CLERICVS ad h. l. *Percussorem immissum in romanum consulem, pro sociis bellum gerentem, romani historici probris omnibus lacessiuissent: sed in regem iturum liberandae patriae causa, laudarunt. Vituperamus nempe in aliis, quod laudamus in nostris.*

rum historiarum temeraret. Animaduertit iam illud in Liuio vitium TACITVS, eumque, quod nimium partibus Pompeii M. esset addictus, pompeianum ab Augusto Imperatore dictum enarrauit [l]. Non offecit quidem hoc ex TACITI sententia, amicitiae, quae inter Augustum et Liuium intercedebat. Sed neque hoc mirum videbitur cuidam, qui cogitauerit, summam fuisse in Liuio curam Augusti gratiam aucupandi, variisque adsentationibus hanc sibi confirmandi. Vnico eoque illustri exemplo fidem dictis faciemus. Bellum a Dictatore Mamerco Aemilio contra Veientes gestum, Liuius exponens, A. Cornelium Cossum tribunum militum opima spolia regi Veientium Volumnio detracta, Ioui Feretrio tulisse commemorat. Nihilominus tanta est apud Liuium Augusti auctoritas, vt hanc sententiam, quam modo omnes ante se auctores sequutus proposuerat, paulo post, Augusti, in cuius laudes simul effunditur, testimonio adductus commutet, Cossumque Consulem spolia opima cepisse adfirmet (σ). Sic, qui vel fugitiuo oculo Liuii verba contemplantur, facile cognoscent, quod occasionem Augusto adsentiendi adripuerit, et, vt constans in custodiendo Augusti fauore videretur, inconstantiae in proponendis historiis culpandae suspicionem sibi conflauerit. Confutatus igitur est PERIZONIO, qui vtique Cossum militum tribunum spolia opima hostium duci subtraxisse, variis argumentis euincit [m].

σ) L.IV. c.20. *Longe maximum triumphi spectaculum fuit Cossus, spolia opima regis interfecti gerens.* Et paulo post: *Spolia in aede Iouis Feretrii, prope Romuli spolia, quae prima Opima adpellata sola ea tempestate erant, cum solemni dedicatione dono fixit.* Nunc hanc sententiam confutat: *Titulus ipse spoliis inscriptus, illos meque arguit, consulem ea Cossum cepisse. Hoc ego quum AugustumCaesarem, templorum omnium conditorem aut restitutorem, ingressum aedem Feretrii Iouis, quam vetustate dilapsam refecit, se ipsum in thorace linteo scriptum legisse audissem; prope sacrilegium ratus sum Cosso spoliorum suorum Caesarem ipsius templi auctorem sub-*

§. XVIII.

Hostes P. R. odio habet Liuius, et in iis vituperat ea, quae in suis laudat.

Historicus fidem meriturus, et inimicis eius populi cuius historiam describit, se aequum iudicem praebere, neque ipsorum virtutem eleuare, nec iis apud alios odium conflare debet. Hoc

l) TACITVS Annal. L. IV. c.34. *Titus Liuius eloquentiae ac fidei praeclarus inprimis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, vt pompeianum eum Augustus adpellaret. Neque id amicitiae eorum offecit. Scipionem Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum, nusquam latrones et parricidas, quae nunc vocabula imponuntur, saepe vt insignis viros nominat.*

m) PERIZONIVS in Animaduersionibus historicis c. 7. p. 250. seqq.

trahere teſtem. Nihilominus tamen L. IV. c. 32. priorem ſententiam iterum amplectitur.

Hoc ſaepiſſime Liuius neglexit, et, quoscunque Roma nacta eſt hoſtes, eos ceu imbelles feminas, et romanae virtuti longe impares deſcribit, vt putares naturam ſolis Romanis fortes animos inſpirauiſſe. Volſcorum gens totius ferme Italiae potentiſſima erat. Attamen ſecundum Liuii ſententiam, quotiescunque proelio cum iis Romani decernunt, primo ſtatim incurſu pelluntur, caeduntur, diripiuntur (τ). Sed nemo facile credet gentem tam potentem, quam Volſci erant, adeo hebeti animo fuiſſe, vt, quoties ad arma itum eſſet, ſtatim, ſimul ac micantes videret gladios, fugam capeſſeret, et abiectis armis omnique pugnandi animo ademto, ſe trucidari pateretur. Quum praeterea aliquando victi eſſent a Volſcis Romani, non quidem illud Volſcorum virtuti, quam odio romanorum militum erga ſuum Imperatorem tribuit Liuius (υ). Sic etiam Latinis, aliisque nominis romani hoſtibus, in prioribus quae cum Romanis geſſerant bellis, equites defuiſſe cenſet, quos Romanis opponerent, quum tamen ex DIONYSIO conſtet, ipſos vtique equitatu numeroſo fuiſſe inſtructos. Itaque vel maleuolentiae illud indicium erit, qua Liuius reipublicae Romanae hoſtes eo magis a poſteris ob ingenii hebetudinem contemni, et ob neglecta artis militaris exercitia irrideri cupiebat: vel negligentiae manifeſtiſſimum ſignum hic deprehendimus *. Hinc etiam factum eſt, vt Liuius ſaepiſſime in aliis vituperet ea, quae in Romanis laudat. Sic haud obſcure indignatur inſidiis, quas Samnites Romanis parauerant, Romanos vero inſidiatores laude proſequitur (φ). Sic Tarentinos, qui ab armis abſiſtere Romanos iuſſerant, omnibus conuitiis proſcindit, eos gentem adpellans, quae ſuarum rerum impotens prae domeſticis ſeditionibus diſcordiisque, aliis modum pacis ac belli facere aequum cenſeret (χ): Romanum vero idem contra alias gentes, inprimis contra Gallos auſum, quinimo contra iura gentium pugnantem defendit (ψ). In Gallos urbem

τ) L. II. c. 25. *Primo ſtatim incurſu pulſi hoſtes: fugientibus, quoad inſequi pedes potuit, terga caeſa: eques vſque ad caſtra pauidos egit; mox ipſa caſtra, legionibus circumdatis, quum Volſcos inde etiam pauor expuliſſet, capta direptaque.* conf. c. 30.

υ) L. II. c. 59.

φ) L. IX. c. 31. *Verſus extemplo terror eſt in inſidiatores, easdemque latebras, quibus ſe paulo ante texerant, palati atque inermes fuga repetebant: ſed loca difficilia hoſti quaeſita ipſos tum ſua fraude impediebant.* De iisdem Samnitibus ait L. IX. c. 14. *Errorem fraus ſuperbe vicit.* Nequa-

*) Lib. II. c. 59. Animaduertit iam haec CLERICVS ad Liu. L. II. c. 20. *Si Latini nullum equitatum habuiſſent, facile intelligeremus, equitatum Romanum potuiſſe ſine periculo deſcendere ex equis; ſed quum habuerint et quidem maiorem Romano, ſi Dionyſio credimus, mirum eſt, cum equitatum non inuaſiſſe a lateribus romanam aciem equitatu nudatam. Saepe Liuius ita loquitur, quaſi hoſtibus romanis nullus equitatus fuiſſet, ſed rem aliter narrat Dionyſius, cui potius crediderim.* Conf. c. 31.

o) Gallis inprimis infenſus fuiſſe videtur Liuius, hinc etiam IAC. PAL-

ME-

vrbem romanam deuastantes verbis durissimis inuehitur Liuius, ipsosque in tecta etiam atque vrbis ruinas bellum gessisse commemorat (ω): Romanos vero, quum Samnitium monimenta expugnassent, et omnia caede miscuissent, quum vrbem Albam solo prorsus aequassent, velut re egregie gesta, laudat, et romanam hanc virtutem adpellat (α). Samnites posteaquam Romanos sub iugum miserant, veluti tali crimine maiestas Romanorum eiusmodi dedecoris prorsus insuetorum grauiter esset violata, praeter omnem rationem obiurgat, superbam hanc pacem adpellans (β): sed quum Romani alios ignominia adfecissent, tamquam solis Romanis eiusmodi quid audere liceret, iis hos reportatae victoriae fructus ex animo gratulatur. Et quam quaeso iniquus censor est in Alexandro M? Desideratas humi iacentium adulationes ipsi exprobat (γ), quas a Romano senatu acceptas nullibi vituperat, sed potius ad augendos gentis Romanae honores frequentissime adducit. Quinimo ipse populorum regumque legatos flexis genibus in curia romana coram senatoribus procubuisse, supplicesque et velamenta praetendentes Romanorum auxilium implorauisse enarrat (δ). Sic etiam Graecis irascitur, quod Parthorum gloriae fauentes, ne maiestatem quidem nominis Alexandri a Romanis sustineri posse, temere adfirmauerint, quum ipse multo maiori audacia famam nominis romani gentes perterruisse saepius exclamet (ε).

quam vero L. II. c. 11. insidias a Valerio consule paratas tam duris verbis describit.

ξ) L. IX. c. 14.

ψ) L. V. c. 36.

ω) L. X. c. 43.

α) L. IX. c. 14. et L. X. c. 29.

β) L. IX. c. 12.

γ) L. IX. c. 18.

δ) L. VII. c. 31. L. XXIX. c. 16. L. XXXIV. c. 11.

ε) L. IX. c. 18.

CONCLVSIO

quae, quando Liuio fidendum sit, docet.

Haec sunt quae de Liuii suspecta fide monenda esse duximus. Ne vero tam praeclarum rerum romanarum scriptorem aliqua iniuria lacessiuisse videamur, iam nostram quoque sententiam, quando Liuio fidendum esse arbitramur, proferemus. Quotiescunque igitur Liuius cum aliis bonae notae scriptoribus, POLYBIO, DIONYSIO, APPIANO, aliisque pluribus consentit, toties fidem ipsi non facile dene-

MERIVS in Exercit. ad optimos auctores Graecos p. 188. Liuium Romanorum mancipium adpellatum a RVALDO, ipse Galli nominis inimicum adpellat. NICERON dans ses Memoires pour servir a l'histoire des hommes illustres T.V. p. 168. *Quelques auteurs modernes ont obserué avec raison, qu'il ne rend pas justice aux Gaulois dans les occasions, ou ceux-ci ont eu affaires aux Romains, en quoi il est semblable aux autres historiens Latins de son tems, qui ont meprises toutes les autres nations pour relever la leur.*

denegarem. Sic enim maiori robore dicta eius firmantur, et ipse non tam vagum quemdam rumorem sequutus, quam monimentorum fide dignorum adparatu instructus, vestigiis spectatae fidei auctorum inhaerere videtur. Neque ego ipsi recentiorum temporum res gestas delineanti adeo diffiderem. Tum enim maior historiae lux adfulgebat, quum disiectis nebulis honestae artes indies magis magisque exoriebantur. Namque ii, qui de patria bene mereri cupiebant, curam ad conseruanda sui aeui gesta conuertebant. Quare si a vulgaribus illis traditionibus, quas plerumque addito famae vocabulo indicat Liuius, sibi temperauisse deprehenditur, etiam tum propior ad fidem accedet. Superstitionis si nulla indicia prodit, si nulla prodigia commemorat, si miraculis rem non adauget, si fabellas aniles non intexit, etiam tum nobis causas cur ipsius fidem suspectam habeamus adimit. Et quandoquidem inprimis gloriae Romanorum amplificandae, aliarumque gentium virtuti imminuendae fuit studiosus, procul dubio sententiae Liuianae subscribere possumus, quando ipse etiam inuitus Romanorum dedecora detegit, aliarumque gentium egregia facta et virtutem celebrat. Solitus praeterea saepissime est Liuius, additis quibusdam rationibus, aut scriptore ex quo sua depromsit nominato, maiorem veritatis speciem historiae adiungere. Has igitur rationes si satis firmas esse iudicaueris, nihil te morabimur historiis istis fidem daturum. Praeterea notitiam temporum, si quaedam a Liuio errata exceperis, eumque cum fastis capitolinis, quorum magna apud viros doctos est auctoritas, conuenientem inueneris; ordinem regum consulumue, antiquos et solemnes populi romani ritus, insignem latini sermonis elegantiam et vbertatem; quinimo praestantissimam eloquentiae, ad quam ferme nimium adspirauit, copiam ex Liuio tibi poteris comparare. Proinde nequaquam ex manibus studiosae iuuentutis eripiendus, sed potius adsiduae ipsius lectioni sedulo est commendandus.

